



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Afferuntur Adversariorum argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

Baium, & Jansenium de inconsequentia, dum docent ignorantiam juris naturalis, quia sequitur ad originale, non excusare à peccato; ignorantiam autem juris Divini, & humani, & factorum excusare à peccato opus, ut sub eà ignorantia positum; nam vel utrobique excusat, vel in neutro casu excusat: ita de eadem redargui potest P. Elizal. quatenus docet ignorantiam, quæ est poena peccati personalis, non excusare; excusare autem, quæ est poena peccati originalis; nam vel utraque excusat, vel nulla.

N. 75. P. Eliz. Contra 4. quia quæro à P. Elizal. cur ignorantiam sequentem ad personale vocet vincibilem; sequentem ad originale vocet invincibilem; nam utraque respectu diversorum terminorum vocari potest antecedens, & consequens; invincibilis, & vincibilis; involuntaria, & libera: ignorantia enim, quod hodie non sit dies jejunij, (suppono esse) sequens ut poena ad originale, respectu peccati originalis dicitur consequens, vincibilis, libera, eà libertate, quæ nobis liberum fuit originale; eademque ignorantia, quod hodie non sit dies jejunij, sequens ut poena ad originale, respectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, involuntaria, invincibilis: ita in casu nostro, ignorantia, quod hodie non sit dies jejunij, sequens ut poena ad originale, respectu non jejunij hodierni dicitur consequens, vincibilis, libera, libertate, quæ furtum hesternum fuit liberum; eademque ignorantia sequens ut poena ad furtum personale hesternum, respectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, invincibilis, involuntaria. Ut ergo ignorantia, quæ est poena peccati originalis, excusat à peccato eum hodiernum, ita ignorantia, quæ est poena furti personalis hesterni, excusat à peccato eum hodiernum.

N. 76. Contra 5. quia Concilia, & Pontifices eam impossibilitatem damnaverunt, quæ admittit impotentiam hic, & nunc antecedentem ad observationem præcepti, esto sequentem ad originale; sed eandem impotentiam hic, & nunc antecedentem ad impletionem præcepti admittit P. Elizal. esto sequentem ad personale præteritum: ergo hæc etiam videtur repudianda.

N. 77. Contra 6. Do ignorantiam sequentem ad originale, aut personale, fuisse prius indirectam, & in sua causâ, nempe in peccato originali, aut personali liberam; attamen si homo eà laborans non possit hic, & nunc eam vincere, eò ipso eà ignorantia reddit observationem legis ignoratæ, non tantum consequenter, sed etiam antecedenter impossi-

bilem, nempe impotentiam antecedenti ad observationem, & non observationem legis ignoratæ; ergo tollit libertatem; ergo excusat à peccato.

Contra 7. quia teneor obedire conscientie invincibiliter erroneæ, alias nec tenebor obedire conscientie verissimæ, ut bene Hecirinx n. 14. quandoquidē dum invincibiliter putatur vera, non potest operans de veritate dubitare, quā quando datur conscientia vera; hinc est Ethicū Protheorema, *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes*; id est, cognitio facit, ut homo peccet, aut non peccet: ergo si hodie caro in penam peccati hesterni cognitione proponente malitiam alicujus actionis, hodie eam exequendo non pecco. Plura infra, ubi de ignorantia vincibili contra P. Thyrsū.

SECTIO III.

Argumentorum oppositorum solutio.

§. I.

[Afferuntur Adversariorum argumenta.]

SUMMARY.

Ex Abimelech: ex Christo D. dicente, quod servus faciens digna plagis, etsi non cognoscat, vapulabit: ex peccatis ignorantia plorandis: ex Synodo Palæstinâ: ex S. Aug. & S. Thom. n. 79. ad 84.

Ex eo quod ad peccatum satis, ut sit contra legem, n. 85. 86.

Ex eo quod omnis veritas moralis, & omnis lex naturalis, & Divina sit invenibilis; eam ignorantia invincibilis juris naturæ repugnet, non minus, ac Dei. DD. n. 87. ad 90.

Pono sub unicum intuitum solidiora N. contra nostram veritatem argumenta, ut 79. eorum vis, quasi in unum coacta, validior appareat: deinde ante directam eorum solutionem do indirectam, ostendendo, esse à suis Patronis solvenda: subinde afferro generalem, præcipuè pro SS. Patrum explicatione, doctrinam: demum solvo ea directè. Hæc omnia compendiosè, sed æquè clarè, & efficaciter tractabo.

Primum est ex Sacra Scripturâ, nam Gen. N. 20. legitur, quod Rex Abimelech in- 80. vincibiliter putans Saram esse Abraham 10. rorem, non uxorem, voluit eam in uxorem ducere; & tamen Deus Abimelecho dixit: *Custodivi te, ne peccares in me; en morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Ecce igitur, quod Abimelech peccasset, si uxorem Abraham cognovisset, esto invincibiliter sibi persuasisset non esse uxorem Abraham

Abraham, sed fororem: ergo ignorantia invincibilis non excusat à peccato.

N. Confirmatur 1. ex Christo D. Luca 12.
§1. dicente, Qui cognovit voluntatem Domini
Luc. 12. fui, & non facit secundum voluntatem ejus,
vapulabit multis; qui autem non cognovit,

& fecit digna plagis, vapulabit paucis: ergo ignorantia invincibilis, esto aliquantulum minuat culpam, non tamen excusat omnino à culpa, nec ab omni poena ob eam intelligenda.

N. Confirmatur 2. innumeris Scripturæ locis, quibus infinuatur Fidelibus, ut suas ignorantias cognoscant, & pro peccatis ignorantiae veniam petant; si autem ignorantia nullum est peccatum, non est, cur anxij sumus de ignorantia, & multo minus, cur veniam petamus pro illa.

N. Confirmatur 3. quia dicere, quod ignorantia invincibilis excuset à peccato, est doctrina Pelagij damnata sepius à S. August. & à Synodo Palæstina contra eundem Pelagium, ait Baron. d. 2. sect. 5. art. 2. §. 1. versio. P. Card. His duobus, citatus à P. Card. tom. 1. d. 15. n. 398. qui Baron. subdit, se de hoc non velle ferre suum judicium.

N. Secundo sumitur ex SS. PP. præcipue ex S. Aug. dicente nullam ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, excusare à peccato: sed omnis tenetur legem scire: ergo nulla ignorantia legis, & præcepti excusat à peccato. Et lib. 1. oper. imperf. pag. 155. ait idē Doctor: *Neceste est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit*: ergo ex S. Aug. necessitas orta ex ignorantia invincibili ejus, quod quis facere debet, & non facit, aut facere non debet, & facit, non tollit peccatum: immo S. August. contra Donatistas cap. 1. ait æquē peccare hereticum ignorantem, ac avarum scientem: ergo ignorantia non minuit, tantum abest, quod omnino excuset à peccato. Et S. Th. opusc. 8. art. 13. ait, quem peccare, si faciat contra legem, licet putet se non facere.

N. Tercio est à ratione; quia ut actio sit peccatum, satis est, ut lex existat in re, & in re existat violatio legis: sed stante invincibili ignorantia, ex gr. legis jejuni, stat in re lex, & stat in re elus, qui est violatio ejus legis: ergo, stante ignorantia legis, existit peccatum.

N. Confirmatur: Quod lex obliget, non pendet à cognitione subditi, sed à sola Superioris voluntate: ergo licet subditus eam ignoret, si tamen contra eam agat, revera peccabit.

N. Quarto, præcipue pro sententia P. Elizal. est: quia nulla vincibilis, & culpabilis ignorantia legis excusat à peccato: sed omnis ignorantia legis consequens ad peccatum personale est culpabilis, & vincibilis: ergo nulla

Tom. I.

la talis excusat à peccato. Minor probatur: Omnis ignorantia, quæ vinci potuit, & debuit, & victa non fuit, est culpabilis; sed omnis consequens ad peccatum vinci potuit omissione peccati, cujus est poena; & vinci debuit, tum ex obligatione vincendi peccatum, in cujus poenam immittitur; tum ex obligatione præcepti de indaganda veritate eorum, quæ quis scire tenetur: ergo &c.

Quinto est ex P. Elizal. lib. 4. qu. 6. §. 4. & N. lib. 3. qu. 1. & 2. & alibi: quia omnes invenire possumus veritatem moralem, & si non invenimus, culpa nostra est, quia fortè non floremus in charitate, humilitate, librorum spiritualium lectione, meditatione, conscientiae expiatione: addit, quod si præcepta Dei servavissimus, nec legem naturalem, nec Divinam ignoraremus, adeoque ignorantia, quam in hoc casu particulari patimur in poenam peccati, non excusat à peccato, quando opinio minus tuta est falsa, quantumvis nobis non tantum probabilior, sed etiam moraliter certa absque ullo conscientiae remorsu appareat. Hæc P. Elizal. qui lib. 3. qu. 2. & 3. & lib. 4. qu. 1. hanc dat rationem; quia nulla ignorantia contracta in poenam peccati actualis est invincibilis, immo est vincibilis in sua causa, seu in peccato, ob quod permixta fuit: sed ignorantia, quam nunc patimur, est permixta in poenam peccati actualis; si enim præcepta Dei servavissimus, non ignoraremus legem naturalem, & Divinam: ergo talis ignorantia est vincibilis; ergo non excusat à peccato.

N. Confirmatur 1. quia lex naturalis, & lex Divina semper est invenibilis, humana autem plerumque: ergo (ait P. Elizal. lib. 4. qu. 9. §. 4.) quod ignoretur, aut de his dubitetur, culpa nostra est: ergo ea ignorantia est culpabilis, & vincibilis; ergo non excusat à peccato.

N. Confirmatur 2. quia probabilius longè est non posse dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, ut docent Hugo à S. Victore, Alensis, S. Bonav. Richardus, Gerson, Adrianus, & alij, quos citat P. Vasqu. 1. 2. d. 122. & quos sequitur Baron. & M. Contenson in sua Theologia mentis, & cordis tom. 3. d. 6. cap. 1. qu. 5. apud P. Thyrsium tom. 4. d. 6. sect. ultimarum; eo modo quo dari non potest invincibilis ignorantia Dei, ut docent S. Th. lib. 1. contra Gentes cap. 12. P. Suar. lib. 1. de Deo cap. 1. n. 13. P. Val. P. Perez. P. Recupitus, P. Granado, & alij passim cum P. Card. tom. 1. d. 15. n. 193. ergo saltem omnis actio elicitæ contra legem naturalem, sub quacunque ignorantia elicitur, erit peccatum: ergo nulla ignorantia excusat à peccato actionem contra legem naturalem.

N

§. II.